

suisse. Quod patet. Nam, *de Veritate*, q. 43, art. 2, sic dicit : « Paulus in rāptū vidi divinam essentiam. Nec tamen fuit beatus simpliciter, sed secundum quid, quamvis mens ejus illustrata fuerit supernaturali lumine ad ipsum Deum videndum. Quod quidem apparere potest exemplo luminis corporalis. Invenitur enim in quibusdam lumen a sole, ut quedam forma manens, quasi connaturalis effecta; sicut in stellis, et carbunculo, et hujusmodi. In quibusdam vero recipitur lumen a sole, sicut quedam passio transiens; sicut in aere; non enim efficitur lumen forma manens in aere, quasi connaturalis, sed transit, absente sole. Et similiter lumen gloriae dupliciter menti infunditur. Uno modo, per modum formae connaturalis factæ et permanentis; et sic facit mentem simpliciter beatam; et hoc modo infunditur beatis in patria. Alio modo contingit lumen gloriae mentem humanam sicut quedam passio transiens; et sic mens Pauli in rāptu fuit lumine gloriae perfusa, vel illustrata. Ipsum etiam nomen rāptum et pertransiendum ostendit hoc esse factum. Unde non fuit simpliciter glorificatus; nec habuit dotem gloriae, cum illa claritas non fuerit effecta proprietas ejus; et propter hoc non fuit derivata ab anima in corpus; nec in hoc statu perpetuo perinansit. » — Haec ille. — Item, 2<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 175, art. 3, in solutione secundi argumenti, sic dicit : « Divina essentia videri ab intellectu creato non potest nisi per lumen gloriae, de quo dicitur in Psalmo (35, v. 10) : *In lumine tuo videbimus lumen*. Quod tamen dupliciter potest participari. Uno modo, per modum formae immanentis, et sic beatus facit sanctos in patria. Alio modo, per modum cuiusdam passionis transeuntis, sicut est *de lumine propheticæ*; et hoc modo lumen illud fuit in Paulo quando raptus fuit. Et ideo ex tali visione non fuit simpliciter beatus, ut fieret redundatio ad corpus; sed solum secundum quid, etc. » — Haec ille. — Simile dicit, *de Veritate*, q. 20, art. 2 : « Potentia, inquit, perfectior est quando recipit aliquid per modum habitus, quam si recipiat per modum passionis solum. Et ideo illud quod superadditum est anima Christi, oportet ponere per modum habitus. Ex nostra autem predictatum rationum oportet in anima Christi aliquid superadditum ad videndum divinam essentiam ponere. Ratione quidem naturæ: quia videre divinam essentiam est supra conditionem etijslibet naturæ creatæ; unde nulla creatura potest ad hoc pertingere, nisi aliquo lumine elevetur in illam visionem. Quod quidem lumen in aliquibus recipitur per modum passionis, quasi pertransiundo, ut in rāptis; in Christo autem fuit ut habitus, ipsam animam beatificans a principio sue creationis. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod mens ejus ultimata fuit quod nullus intellectus creatus potest divinam essentiam nec in via nec in patria videre, nisi mediante lumine gloriae. Quod ergo dicit in

4. *Sententiarum*, et in *de Veritate*, q. 10, intelligendum est sic, quod per divinam potentiam miraculose fieri potest quod intellectus viatoris divinam essentiam videat, sine hoc quod lumine gloriae disponatur per modum habitus et formæ manentis, non tamen sine lumine gloriae se habente per modum passionis transeuntis.

Ad quintum dicitur quod minor supponit (2) falsum, scilicet quod divina essentia possit praesentari vel esse præsens in ratione objecti, vel formæ intelligibilis, aliqui intellectui creato, sine lumine gloriae. De hoc sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 10, art. 11, in solutione undecimi, sic dicit : « Quamvis divina essentia sit præsens intellectui nostro, non tamen est ei conjuncta ut forma intelligibilis, quam intelligere possit, quamdiu lumine gloriae non persistit. Ipsa enim mens non habet facultatem videndi Deum per essentiam, antequam prædicto lumine illustretur. Et sic deficit videndi facultas, et visibilis præsentia. » — Haec ille. — Similia dicit, 4. *Sententia*, ut prius allegatum est contra objecta Scotti contra primam conclusionem. Ex quibus patet ad omnia sequentia, que arguens adducit.

Ad argumentum principale pro quæstione (2), patet responsio per prædicta in principio tertii articuli ad objecta Scotti.

Et haec de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen (3).

## QUESTIO V.

### UTRUM ESSENTIA DIVINA AB INTELLECTU CREATO PER ALIQUAM SIMILITUDINEM VIDEATUR

**T**ERTERIUS, circa quadragesimam nonam distinctionem, queritur: Utrum essentia divina ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur.

Et arguitur quod sic. Quia intellectus in actu, est intellectum in actu; sicut sensus in actu, est sensibile in actu. Hoc autem non est nisi in quantum sensus informatur similitudine rei sensibilis, et intellectus similitudine rei intelligibilis vel rei intellectus. Ergo, si Deus ab intellectu creato videtur in actu, oportet quod per aliquam similitudinem videatur.

In oppositum arguitur. Quia dicit Augustinus, 15. *de Trinitate* (cap. 9), quod cum Apostolus dicit (1. Corinth. 13, v. 12), « *Videmus nunc per speculum in anigmate*, » speculi et anigmatis

(2) supponit. — supponat. Pr.

(3) questions. — conclusione Pr.

(4) Johannes Capreoli dictavit, etc. — Ad Pr.

*nomine quæcumque similitudines ab Apostolo significatæ intelligi possunt, quæ accommodatae sunt ad Deum intelligendum.* Sed videre Deum per essentiam non est visio ænigmatica, vel specularis; sed contra eam dividitur. Ergo divina essentia non videtur per similitudinem.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

## ARTICULUS I.

### PONUNTUR CONCLUSIONES.

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio:** Quod divina essentia per nullam creatam similitudinem ipsam representantem videri potest.

Hanc ponit sanctus Thomas, 1 p., q. 42, art. 2, ubi sic dicit: « Ad visionem, tam sensibilem quam intellectualem (α), duo requiruntur, scilicet virtus visiva, et unio rei visæ cum visu: non enim sit visio in actu, nisi per hoc quod res visa quodammodo est inidente. Et in rebus quidem corporalibus, apparet quod res visa non potest esse inidente per suam essentiam, sed solum per suam similitudinem; sicut similitudo lapidis est in oculō, per quam sit visio in actu, non ipse lapis. Si autem esset una et eadem res, quæ esset principium visivæ virtutis, et quæ esset res visa, oporteret videntem virtutem visivam habere ab illa re, et formam per quam videret. Manifestum est autem quod Deus est auctor intellectivæ virtutis, et ab intellectu videri potest. Et cum ipsa intellectivæ virtus creature non sit Dei essentia, relinquitur quod sit aliqua participata similitudo ipsius Dei, qui est primus intellectus. Unde et virtus intellectualis (β) creature lumen quoddam intelligibile dicitur, quasi a prima luce derivatum, sive hoc intelligatur de virtute naturali, sive de aliqua perfectione superaddita gratiae vel gloriae. Requiritur ergo ad videndum Deum aliqua similitudo ex parte visivæ potentie, qua scilicet intellectus sit efficax ad videndum Deum. Sed ex parte rei visæ, quam necesse est aliquo modo tñiri videnti, per nullam (γ) similitudinem creatam Dei essentia videri potest. Primo quideam, quia, sicut dicit Dionysius, 1 cap. de Divin. Nom., per similitudines inferioris ordinis rerum nullo modo possunt superiora cognosci; sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ. Multo

ergo minus per speciem creatam quamcumque potest videri Dei essentia. Secundo, quia essentia Dei est ipsum esse ejus; quod nulli formæ creatæ competere potest. Non potest ergo aliqua forma creatæ esse similitudo representans videnti Dei essentiam. Tertio, quia divina essentia est aliquid incircumscripsum, continens in se supereminenter quidquid potest significari vel intelligi ab intellectu creato. Et hoc nullo modo per aliquam speciem creatam representari potest: quia omnis forma creata, est determinata secundum aliquam rationem, vel sapientie, vel virtutis, vel ipsius esse, vel alicuius hujusmodi. Unde dicere Deum per similitudinem videri, est dicere divinam essentiam non videri; quod est errorem. Dicendum est ergo quod ad videndum divinam essentiam requiritur aliqua similitudo ex parte visivæ potentie, scilicet lumen glorie, confortans intellectum ad videndum Deum; de quo dicitur in Psalmo (32, v. 10): *In lumine tuo videbimus lumen.* Non autem per aliquam similitudinem creatam Dei essentia videri potest, quæ ipsam divinam essentiam representet (z) ut in se est. — Hac ille.

Eandem conclusionem ponit, 4. *Sententiarum*, dist. 49, q. 2, art. 1, et multis aliis locis (6).

Ex quibus patent multæ rationes in forma pro conclusione.

**Secunda conclusio** est quod ad videndum divinam essentiam requiritur quod ipsa divina essentia unifatur intellectui nostro ut intelligibilis forma.

Hanc ponit sanctus Thomas, 4. *Sententiarum*, dist. 49, q. 2, art. 1, ubi, positis multis falsis opinionibus, subjungit: « Alius, inquit, modus intelligendi substantias separatas ponitur ab Avicenna in sua Metaphysica, scilicet quod substantiae separate intelliguntur a nobis per intentiones suarum quidditatum, quæ sunt quaedam ipsarum similitudines, non abstractæ ab eis, quia ipsænter sunt immateriales, sed impressæ ab eis in animabus nostris. Sed hic modus nobis non videtur sufficere ad visionem divinam quam querimus. Constat enim quod omne quod recipitur in aliquo, est in eo per modum recipientis; et ideo similitudo divinæ essentie impressa ab ipso in intellectu nostro erit per modum nostri intellectus. Modus autem intellectus nostri deficiens est a perfecta representatione divinæ similitudinis. Defectus autem perfectæ similitudinis tñi modis potest accidere, quot modis dissimilitudo invenitur. Uno enim modo est deficiens similitudo, quando participatur forma secundum eamdem rationem spe-

(α) representet. — reputet Pr.

(β) Cfr. presertim de Veritate, q. 8, art. 1, et q. 10, art. 11; Contra gentiles lib. 3, cap. 49 et 51, et lib. 4, cap. 7.

(γ) nullam. — veram. Pr.

ciei, sed non secundum eundem modum perfectio-  
nis; sicut est similitudo deficiens ejus qui (z) habet  
parum de albedine, ad eum qui habet multum. Alio  
modo adhuc magis est deficiens, quando non per-  
venit ad eamdem rationem speciei, sed tantum ad  
eamdem rationem generis; sicut est similitudo inter  
illum qui habet colorem citrinum, et illum qui  
habet colorem album. Alio modo adhuc magis defi-  
ciens est, quando ad eamdem rationem generis non  
pertinet, sed tantum secundum analogiam; sicut est  
similitudo albedinis ad hominem in eo quod  
utrumque est ens. Et hoc modo est deficiens omnis  
similitudo quae est in creatura recepta respectu  
divinae essentiae. Ad hoc autem quod visus cognos-  
cat albedinem, oportet quod recipiatur in eo simili-  
tudo albedinis secundum rationem sue speciei,  
quamvis non secundum eundem modum essendi,  
quia habet alterius modi esse formam in sensu, et in  
re extra animam: si enim fieret in oculo forma  
citrini, non diceretur oculus videre albedinem. Et  
similiter ad hoc quod intellectus intelligat aliquam  
quidditatem, oportet quod fiat in ea similitudo ejus-  
dem rationis secundum speciem, quamvis forte non  
sit idem modus essendi utrobius: non enim forma  
existens in sensu vel intellectu est principium  
cognitionis secundum modum essendi quem habet  
utrobius, sed secundum rationem in qua communica-  
tum cum re exteriori. Et ita patet quod per nullam  
similitudinem receptam in intellectu creato potest  
Deus intelligi, ita quod ejus essentia videatur immediate.  
Unde etiam quidam ponentes divinam essen-  
tiam solum per hunc modum videri, dixerunt quod  
ipsa divina essentia non videbitur, sed quidam ful-  
gor, quasi radius ipsius. Unde nec iste modus suffi-  
ciet ad visionem divinam quam querimus. Et ideo  
acepiendus est aliis modus, quem etiam quidam  
philosophi posuerunt, scilicet Alexander et Aver-  
roes in 3. *de Anima*. Cum enim in qualibet cogni-  
tione sit necessaria aliqua forma, qua res cognoscatur  
aut videatur, forma ista, qua intellectus perficitur  
ad videndum substantias separatas, non est  
quidditas quam intellectus abstrahit a rebus com-  
positis, ut dicit prima opinio; nec aliqua impressio  
relicta a substantia separata in intellectu nostro, ut  
dicebat secunda; sed est ipsa substantia separata,  
qua conjugitur intellectui nostro ut forma, ut ipsa  
sit quod intelligitur, et quo intelligitur. Et, quid-  
quid sit de aliis substantiis separatis, tamen istum  
modum oportet nos accipere in visione Dei per essen-  
tiam: quia, quacumque alia forma formaretur  
intellectus noster, non posset per eam duci in essen-  
tiam divinam. Quod quidem non debet intelligi  
quasi divina essentia sit vera forma intellectus nostri,  
vel quod ex ea et intellectu nostro efficiatur unum  
simpliciter, sicut in naturalibus ex materia et forma

naturali; sed quia proportio essentiae divinæ ad  
intellectum nostrum est sicut proportio formæ ad  
materiam. Quandocumque enim aliqua duo, quo-  
rum unum est perfectius altero, recipiuntur in  
eodem receptibili, proportio unius illorum ad alterum,  
scilicet magis (z) perfecti ad minus perfectum,  
est sicut proportio formæ ad materiam; sicut lux et  
color recipiuntur in diaphano, quorum lux se habet  
ad colorem sicut forma ad materiam. Et ita, cum in  
anima recipiatur vis intellectiva, et divina essentia  
inhabitans, licet non per eundem modum, essentia  
divina se habebit ad intellectum sicut forma ad  
materiam. Et quod hoc sufficiat ad hoc quod intel-  
lectus possit videre ipsam divinam essentiam per  
essentiam, hoc modo potest ostendi. Sicut enim ex  
forma naturali qua aliquid habet esse, et ex materia,  
efficitur unum ens simpliciter; ita ex forma qua  
intellectus intelligit, et ipso intellectu, fit unum in  
intelligendo. In rebus autem naturalibus res per se  
subsistens non potest esse forma alicujus materiae,  
si illa res habeat materiam partem sui; quia non  
potest esse ut materia sit forma alicujus; sed, si illa  
res per se subsistens, sit forma tantum, nihil pro-  
hibet eam effici formam alicujus materiae, et fieri  
quo est ipsis compendi, sicut patet de anima intel-  
lectiva. In intellectu autem oportet accipere ipsum  
intellectum in potentia quasi materiam, et speciem  
intelligibilem quasi formam; et intellectus in actu  
intelligens, erit quasi compositum ex utroque. Unde,  
si sit aliqua res per se subsistens, quae non habeat  
aliquid in se praeter illud quod est intelligibile in  
ipsa, talis res poterit esse forma qua intellectus  
intelligit. Res autem quilibet est intelligibilis secun-  
dum id quod habet de actu, non secundum id quod  
habet de potentia, ut patet, 9. *Metaphysicæ* (t. c.  
20). Et hujus signum est, quod oportet formam  
intelligibilem abstrahere a materia et ab omnibus  
proprietatibus materiae. Et ideo, cum essentia divina  
sit actus purus, poterit esse forma qua intellectus  
intelligit. Et hoc (6) erit visio beatificans. Et ideo  
Magister dicit, in prima distinctione *Secundi*, quod  
unio animæ ad corpus est quoddam exemplum illius  
beatæ unionis qua spiritus unetur Deo. » — Hæc  
ille.

Similia dicit, *de Veritate*, q. 8, art. 1. Item,  
3. *Contra Gentiles*, cap. 51; et 1 p., q. 42, art. 2,  
in solutione tertii.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclu-  
sione: Ad videndum intellectualiter aliquod objec-  
tum, requiritur et sufficit forma perfecte repræ-  
sentans illud. Sed divina essentia sola sufficit per-  
fecte representare seipsum in visione intellectuali.  
Ergo illa requiritur, et sola sufficit.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

(z) *magis*. — Om. Pr.

(6) *hoc*. — hæc Pr.

## ARTICULUS II

## PONUNTUR OBJECTIONES

## CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

**I. Argumenta Aureoli.** — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem contra primam conclusionem arguit Aureolus, in suo *Quodlibeto* (*Quodl.* 8), multiplicititer. Et primo quidem arguit contra probationes illius conclusionis. Dicit enim sic, in forma: Si debeat tolli species a beatifica visione, hoc non facit ratio facialis et clarae notitiae; nec finitatio seu limitatio speciei creatae, propter opinionem quae has rationes assignat. — Primam quidem sic assignat (z): Nulla similitudo speciei finita potest representare divinam essentiam. Quod patet. *Primo*, auctoritate Dionysii, *de Divin. Nom.*, cap. 1, qui dicit quod per similitudinem inferioris ordinis rerum non possunt superiora cognosci, sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeae; species autem creata inferioris ordinis est quam divina essentia. *Secundo*, quia essentia Dei est ipsum summum esse; quod nulli formae creatae competit; et per consequens eam representare non potest. *Tertio* est (6), quia nullum limitatum per rationem sapientiae, vel bonitatis, vel ipsius esse, potest esse similitudo ejus quod est incircumspectum et continens supereminenter (7) quidquid significari aut intelligi ab intellectu (8) creato potest; sed talis est divina essentia; ergo nulla creata species potest eam representare. Secundam rationem assignat ex claritate intuitivae notitiae. Quia, prout ait Augustinus, 15. *de Trinitate* (cap. 9), cum Apostolus (1. *Corinth.* 13, v. 12) dicit, « *Videmus nunc per speculum in animage*, » *speculi et enigmatis nomine quaecumque similitudines significantur ab Apostolo intelligi possunt, quae accommodantur ad intelligendum Deum*. Sed videre Deum per essentiam non est cognitio ienigmatica et specularis, sed clara et facialis. Ergo non videtur per speciem; sed hoc dicere est dicere quod Deus in se non videatur, sed per theophanias et speculum; quod est absurdum vel erroneum.

Sed, his non obstantibus, probo propositionem. *Primo*, quod (ε) limitatio non impedit, sic: Actus quo videtur divina essentia, est expressissima similitudo ipsius. Sed actus quo videtur divina essentia, est quid limitatum et finitum. Ergo aliqua res limi-

(z) assignat. — assignant Pr.

(6) Tertio est. — Tertia ratio est. Pr.

(7) supereminenter. — superessentialiter Pr.

(8) ab intellectu. — Om. Pr.

(t) quod. — quia Pr.

tata et finita potest esse expressa similitudo divinam essentiam representans. — Major patet per Augustinum, 15. *de Trinitate*, cap. 11 et 12, qui ait quod simillima est visio cogitationis (α) rei illi unde formatur et ex qua (6) gignitur (γ). Et, 14. *de Trinitate*, cap. 17, dicit: *Tunc perfecta erit Dei similitudo in mente, quando Dei perfecta erit visio*. *Apostolus enim Johannes* (Epist. 1, cap. 3, v. 2) ait: « *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicut est.* » *Hinc appareat tunc in ista imagine Dei planam similitudinem fieri, quando ejus plenam perceperit visionem.* — Haec ille. — Et, cap. 6, dicit cogitationem quā formatur mentis intuitus, imaginem rei esse. Similiter et Anselmus dicit, *Monolog.* 34, quod *nulla ratione negari potest cognitionem rei esse imaginem ejus, tuncquam ex ejus impressione formatam*. Ratione etiam patet. Illud enim quod ultimate facit ornatiter ut res aliqua menti appetat, luceat, et sit presens in esse prospetto et conspicio, est illius rei expressiva similitudo. Hoc patet: *esse enim apparet rosa, que intellectui (z) objicitur, nulla rosa existente, illud non est reale, sed rationis tantum vel intentionale; et ideo nihil est ex se, sed oportet quod reducatur ad aliquid reale, ex cuius denominacione sit; illud autem in mente est quedam res, quae est relucentia et apparitio et praesentialitas et similitudo conspicua rei; objectum enim quod sic appareat et relucet, relucentia et apparitione expressiva appareat et luet.* Sed actus divinae visionis est illud, quo formaliter ultimate divina essentia menti appetat, objicitur et luet in *esse conspicio et prospetto*: da enim quod, nulla alia mutatione facta, nec ex parte Dei, nec ex parte beati, Deus annihilet visionem in mente beati, constat quod non est apparen, lucens, nec conspicua Dei essentia illi menti, sed aberit secundum esse prospectum. Et hoc est commune omnium actuum cognitivo: nullus enim habet in prospectu mentis rem, nisi dum actu de illa cogitat. Unde Augustinus, 14 *de Trinitate*, cap. 6: *Tanta est vis cogitationis, ut nec ipsa mens sit in prospectu suo, nisi dum se rogitat, nec ulter possit esse in conspectu suo, nisi cogitando*. Sequitur: *Multarum disciplinarum peritus, ea quae novit, ejus memoria continentur; nec tamquam est aliiquid in conspectu mentis suæ, nisi dum cogitat*. Et, libro 15, dicit quod res luet in cogitatione, virtute ipsius. Ergo ipsa visio est expressissima divinae essentiae imago,

(α) visio cogitationis. — cognitio visio cognitionis Pr.

(6) qua. — quo Pr.

(γ) In cap. 11 dicit Augustinus: *Simillima est enim visio cogitationis, visioni scientiae*. Et in cap. 12: *Ipsa scientia, de qua veraciter cogitatio nostra formatur, etc.* Et infra, in eodem cap.: *Tunc enim est verbum simillimum rei notae de qua gignitur, et imago ejus: quoniam de visione scientiae visio cogitationis exoritur.*

(z) intellectui. — inde Pr.

et expressissima similitudo illius. — Minor autem, quod actus sit res limitata, patet: quia est creata, et accidens in determinato genere qualitatis.

Ad motiva vero in oppositum, patet. *Ad primum* quidem, dicitur quod similitudinem esse inferiorum ordinum quam sit res cognita, intelligi potest duplum. Uno modo, essentialiter, quasi ipsa sit per essentiam inferior; et sic constat quod omnis similitudo in intellectu existens, vel de angelo, vel de quavis substantia, est ordinis inferioris, cum accidens inferius sit substantia; nec sic intelligit Dionysius. Vel potest intelligi objective; et sic Dionysius intendit quod per similitudinem inferioris ordinis rerum, hoc est, quae representat inferiora, non possunt superiora cognosci; unde exemplificat (x) quod per speciem corporis non potest essentia incorporea cognosci. Non ergo ex hac auctoritate potest inferri nisi quod Dei (ε) essentia videri non potest per speciem alicujus creature; sed quin per speciem creatam, non representantem creaturam; sed solum Dei essentiam, non infertur. Unde in argumento committitur fallacia figuræ dictionis vel amphibologie, cum dicatur, *per speciem rei inferioris ordinis non possunt superiora cognosci*: quia vel potest intelligi intransitive, scilicet per speciem qua est per essentiam suam inferior in ordine; et sic falsa; vel transitive (γ), quasi per speciem qua est de re inferioris ordinis; et sic est vera, non solum comparando speciem rei inferioris ordinis ad cognitionem rei superioris ordinis, immo etiam e converso, quia per speciem angeli non potest homo cognosci. — *Ad secundum*, dicitur quod peccat secundum non causam ut causam. Nam non causa ut causa, est quod non possit species representare Deum, qui est suum esse, propter hoc quod species est non suum esse, sicut patet: quia (δ) species, quæ vere est accidens et inhaerens, potest representare substantiam et subsistens; unde nulla esset ratio, quæ vellet ostendere quod angelus non potest habere similitudinem archangeli, quia angelus in essendo subsistit, omnis autem similitudo accidentalis inhaeret et non subsistit. Et ratio hujus est: quia representatio fundatur super qualitatem et conformitatem, non autem super existentiam vel inhaerentiam; unde accidit rei representanti quod subsistat vel inhaereat, vel quod sit suum esse vel non sit. Quamvis etiam falsum assumat, scilicet quod species non sit suum esse: quia (ε), ut alias (ζ) ostensum fuit (η), esse non est nisi affirmatio

essentiae, veram (α) dicens ipsam, ut Commentator dicit, 5. *Metaphysicæ*, com. 14; et, per consequens, omnis res est suum esse realiter, quamvis differat secundum modum concipiendi. — *Ad tertium*, dicendum quod propositio cui innitur, non est vera, scilicet quod illud quod est incircumscripsum, continens in se supereminenter quidquid potest significari vel intelligi ab intellectu creato, non possit representari per speciem finitam et limitatam. Probatum est enim quod actus visionis simillimus est divinae essentiae, exhibens eam praesentem facialiter in esse apparenti et cognito; et tamen est quid finitum. Hoc patet, si ponderetur propositio, quæ est quod species rei infinitæ dicitur infinita: secundum hoc enim scientia de divinitate esset infinita. Unde, cum representatio fundetur super qualitates, superioritas autem et inferioritas fundetur super quantitatem, est mutare *quale in quantum*, cum arguitur: *Hoc est similitudo infiniti; ergo hoc est infinitum*. Quod in exemplo sensibili patet: quia per speciem in pupilla describitur similitudo medietatis cœli, æque representans eam ac si æquaretur sibi in quantitate.

*Secundo*, inquit, probo propositionem, quod clara notitia et intuitiva hoc nullo modo impedit. — *Primo* (ε). Constat enim quod notitia (γ) rei praesentis per visum corporeum apprehensæ est (δ) clara et facialis notitia, et (ε) non impeditur per hoc quod ponitur species tanquam ratio videndi; et, per consequens, etiam non est verum quod qui poneret divinam essentiam videri per speciem tanquam per rationem videndi, poneret divinam essentiam non videri, aut ænigmate cognosci. — *Præterea*. Illud quod ponit ænigma, et tollit notitiam facialem, est medium creatum, se ténens ex parte objecti: quia attingit illud medium, et non divinam essentiam per se. Non autem tollit facialem notitiam medium quod est ratio cognoscendi: quia in illam non fertur, sed immediate in objectum; quamvis ratio tendendi sit species. Ergo non tollitur facialis notitia, si species ponatur isto ultimo modo. — Quod de Augustino (15. *de Trinitate*, cap. 9) inducitur, patet quod non intelligit de quacumque creata similitudine quæ adhibetur ad intelligendum Deum secundum modum rationis intelligendi, sed de illa quæ adhibetur secundum modum eujusdam medii objecti, secundum quod dicitur, *Romanor.*, cap. 4 (v. 20): *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur*. Et sic ponere quod divina essentia videatur per speciem medium est erroneum. Unde patet quod contingit aequivocatio de medio in toto processu. — Haec ille.

(α) exemplificat. — existat Pr.

(ε) Dei. — ei Pr.

(γ) transitive. — transsumptive Pr.

(δ) quia. — quod. Pr.

(ε) quia. — Om. Pr.

(ζ) Cfr. Aureolum, 1. *Sentent.*, dist. 8, q. 1.

(η) quod. — Ad. Pr.

(α) veram. — veræ Pr.

(ε) Primo. — Om. Pr.

(γ) notitia. — notitiæ Pr.

(δ) est. — et Pr.

(ε) et. — Om. Pr.

**II. Alia argumenta Aureoli.** — Secundo loco (a) arguit, probando quod Deus videtur in patria per creatam similitudinem, quia per actum, quae est vera similitudo objecti. Et hoc est commune omni potentiae cognoscitivæ, scilicet quod nulla alia species est in ea formaliter, aut similitudo alia, nisi actus, qui simillimus est ipsi rei, sic quod actus non addit ultra speciem nisi actualem repræsentationem. Hanc autem propositionem, quæ, ut dicit, forte videtur nova, probat dupli ratione: prima, fundata in auctoritate; secunda, tenente ex se. Quia, secundum Augustinum, *de Moribus Ecclesiæ, contra Manichæos* (cap. 2), naturæ ordo ita (b) se habet, ut, cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas: nam infirma potest videri ratio, quæ, cum redditæ fuerit, auctoritatem postea, per quam confirmetur, assumit. Sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, perspicuitati aut certitudini rationis aspectum idoneum attendere nequeunt, saluberrime compertrum est ut in lucem veritatis aciem titubantem inducat auctoritas.

Primo ergo ratione in auctoritatibus (c) fundata apparet propositio. Si enim vel in intellectu, vel in sensu, quæ sunt potentiae cognoscitivæ, poneretur aliqua similitudo distincta ab actu, et non esset ipsa similitudo, id est, species (d), actus qui imprimitur ab objecto, sequeretur quod primum receptivum in sensu non esset ipsa visio, et intellectio non esset purum pati ab objecto. Et hoc patet: quia, secundum ponentes species distinctas realiter ab actu, et si simul tempore potentia respiciat utrumque, tamen ordine naturæ prius respicit speciem, per quam, facta in actu primo, elicit actum qui est cognoscere, intelligere, vel videre; et ita cognoscere non est purum pati ab objecto, nec primum impressum in potentia. Sed sancti et philosophi dicunt quod primum impressum ab objecto in potentia est actus ipse, utpote visio et intellectio. Et de sanctis quidem patet. Nam Augustinus, *de Quantitate animæ*, cap. 23, dicit: *Quid patiuntur oculi, nisi ipsum visum, cum vident (e)? Si enim me interrogares quid pateretur ægrotans, ægritudinem responderem. Cur ergo interroganti quid videns patiatur, non recte visum ipsum responderem?* Similiter, 11. *de Trinitate*, cap. 2, dicit quod illa informatio, quæ visio dicitur, a solo corpore quod videtur, imprimitur. Et subdit quod tardioribus ingenii difficile persuaderi potest in nostro sensu imaginem rei impressam visibilem formari, et eamdem formam esse visionem. Et infra: *Imago*

(a) loco. — principaliter Pr.

(b) naturæ ordo ita. — verus ordo in Pr.

Pr. (c) ratione in auctoritatibus. — auctoritate in ratione

(d) et. — Ad. Pr.

(e) vident. — videant. Pr.

rei impressa sensui est visio, sensusve formatus. Et concludit quod *imago rei, quæ fit in sensu, est visio*. Similiter, eodem libro, cap. 9, dicit quod *quatuor reperiuntur species, quasi gradatim natæ altera ex altera. Ex specie quippe corporis quod cernitur, exoritur illa species quæ fit in sensu cernentis; et ab hac, ea quæ fit in memoria; et ab hac, ea que fit in acie cogitantis*. Et subdit quod *duæ istarum sunt visiones, scilicet illa quæ fit in sensu cernentis, altera in acie cogitantis*. Propterea duas in hoc genere (z) trinitates volui commendare: unam, cum visio sentientis formatur ex corpore; aliam (f), cum visio cogitantis formatur ex memoria. Memoriam autem nolui, quia non solet visio dici (g), cum forma memorie commendatur. Ex quo patet quod forma que imprimitur sensui, est ipsa visio, et que imprimitur aciei cogitantis; non autem illa quæ imprimitur memoria, quia non est potentia cognitiva. — Similiter Anselmus, *Monolog.*, cap. 31, dicit quod *nulla ratione negari potest, cum mens rationalis cogitando intelligit, imaginem nasci in sua cogitatione; immo ipsum cogitationem esse imaginem*. Et concludit quod *mens rationalis, cum se cogitando intelligit, habet secum imaginem suam ex se natam, id est, cogitationem ad suam similitudinem, quasi sua impressione formatam*. — Similiter Philosophus, 2. *de Anima* (t. c. 138), expresse dicit quod *idem est actus sensibilis et sensus*, et eadem est actio sensibilis et passio sensus. Et ponit exemplum Commentator, com. 140, dicens: « Verbi gratia: sonare est actio soni; audire est passio sensus audiens. Et verbi gratia: in visu, passio visus est videre, licet sit in figura nominis agentis; actio vero sui sensibilis, quod est color, caret nomine in lingua græca. » Nunc autem, cum actio sensibilis sit impressio speciei, nisi ipsa species esset ipsa sensatio formaliter, sed aliquid consequens, aliud a specie, non esset verum quod actio sensibilis et passio sensibilitatis essent idem secundum rem. — Similiter Philosophus, 3. *de Anima* (t. c. 2), postquam dixit quod *intelligere est pati*, declarans modum illius pati, dicit (t. c. 3) quod *esse susceptivum speciei*, ipsum intelligere appellans speciem. Et ideo Commentator, com. 12, ait quod « *intelligere est in capitulo passionis, et passio (d), non actio* »; et tamen esset actio, si per speciem intellectus elicet actum. Dicit etiam, comm. 18, quod « *abstrahere nihil aliud est quam facere intentiones imaginatas intellectas in actu, postquam erant in potentia intellectæ; intelligere vero nihil aliud est quam recipere has intentiones*. » Constat autem quod ibi vocat intentiones ipsas species. Ergo, secun-

(a) genere. — animæ.

(b) aliam. — animalia Pr.

(c) solet visio dici. — sola visio Dei Pr.

(d) passio. — passivus Pr.

dum mentem sanctorum et philosophorum, non est aliud actus cognoscitivus, in quacumque potentia apprehensiva, nisi receptio similitudinis aut speciei aut formae rei cognitae; et, per consequens, in ea non est alia species ponenda. — Nec valet si dicatur quod auctoritates istae intelligendae sunt per causalitatem; et non formaliter: ut sit sensus quod species sit intellectio, aut sensatio, quod est causa earum. Hoc utique non valet. Tum quia, secundum hunc modum, possent omnes propositiones essentiales infirmari; unde posset dici quod homo est animal per causalitatem. Tum quia talis modus loquendi impropus est, nec usitat in philosophia, quia est causa deceptionis: in hoc enim differt philosophia Aristotelis ab illa Platonis, quia ille loquebatur metaphorice, iste vero sub propriis verbis. Tum quia Philosophus et Augustinus (z) non probarent illud ad quod adducunt has propositiones, si intelligantur per causalitatem; sicut appareat deducenti illud quod Augustinus dicit, 11. *de Trinitate* (cap. 2, etc.). Intendit enim probare quamdam trinitatem in sensu, accipiendo pro parente corpus visibile, et pro prole formam impressam ac visionem ipsam, pro tertio vero intentionem copulantem. Si ergo intelligeret quod forma et visio essent duas res, et quod forma esset visio per causalitatem, et non essentialiter, tunc haberet quaternitatem (6), quia duas proles impressas ab objecto sub ordine quodam, scilicet speciem (7), et visionem; cuius oppositum ipse intendit. Similiter Philosophus, in 2. *de Anima* (t. c. 138), non probaret quod cognoscens visionem, scilicet sensus communis, cognosceret colorem seu colorationem ex hoc quod idem est actus sensitivi et sensibilis, nisi intelligeret quod primum impressum a sensibili est ipsa sensatio, ut a colore coloratio oculi intentionalis (8), quae est visio. Ubi (ε) etiam Commentator (3. *de Anima*, com. 18) ait quod « intelligere nihil aliud est quam recipere intentiones intellectas », non potest (ζ) glossari quod hoc sit dictum per causalitatem; quia falsum diceret, cum effectus sit aliud a causa.

**Secundo**, inquit, idem patet ratione dicente *propter quid*. Illud enim quod existens in potentia cognitiva, est sibi formaliter ratio ut res sibi apparatur praesentialiter et (η) objective, est formaliter actus cognoscendi. Constat enim quod actus cognoscendi non est nisi quedam formalis apparentia; unde et Graeci vocant phantasiam et apparentiam; et propter hoc Augustinus, ut supra allegatum est 14. *de Trinitate* (cap. 6), dicit quod ista est vis

cognitionis, quod facit rem esse in conspectu; unde et conspicere nihil aliud est quam in conspectu habere; cognoscere autem et conspicere (x) idem est. Sed omnis similitudo formalis existens in potentia cognitiva ultimate disposita, est illud quod formaliter facit eidem potentiae rem praesentialiter et objective apparere. Et hoc patet ex dicto Philosophi, 3. *de Anima* (t. c. 4), Anaxagoram approbantis (ε), quod, si intellectus haberet penes se aliquam connaturalem speciem, faceret apparere illud cuius haberet speciem, et quod hoc prohiberet speciem extranei apparere, et quasi obstrueret intellectum. Propter hoc etiam (γ) Avicenna dicit quod impossibile erat quod in intellectu remaneret species: quia, cum sit potentia cognitiva, semper appareret, quamdiu in ipso esset, species, per quam objectum appareret. Propter idem etiam memoria non ponitur virtus apprehensiva, quia species ibi existentes non semper faciunt lucere objectum. Et ratio hujus potest patere: quia speciei et similitudinis est representare; unde ponentes species, dicunt eas necessarias ut representent objectum; et manifestum est quod omnis similitudo, representativa sui similis, est expressiva; et, per consequens, cum representare sit rem presentem facere, patet quod, si ponitur similitudo in aliqua (ε) potentia cui potest fieri representatio, qualis est cognoscitiva, exhibebit actu rem presentem. Igitur omnis similitudo existens in potentia cognitiva ultimate disposita, est actus cognoscitivus. Sed, si praeter actum ponetur alia species, sequeretur quod essent duo actus; quia adhuc illa species representaret objectum, et ipsum faceret apparere, ut dicit Philosophus.

Sed forte dicetur quod species non ponitur ut representet objectum (quia hoc competit actui), sed ut sit intellectui ratio agendi, vel ut coagat intellectui, ac si objectum esset praesens; unde patet quod tenet vicem objecti in elicendo actum. — Hoc autem non valet. Quantumcumque enim coagat, adhuc ex vi sua essentiae in intellectu est illud quo formaliter objectum, cuius est similitudo, representatur ac praesentialiter appareat: non enim potest species separari ab actu suo proprio; sed actus proprius speciei est representatio, immo non est nisi representatio objecti. Ergo, absque hoc quod coagat ad productionem alterius similitudinis, ipsa seipsa formaliter representabit (ε).

Et confirmatur. Quia quod inest alicui per rationem communem, inest cuilibet participanti (ζ) illam. Sed actui inest quod exhibeat objectum, et faciat formaliter apparere, ex hoc quod est simili-

(α) *Augustinus*. — *Angelus Pr.*

(β) *quaternitatem*. — *contra Trinitatem Pr.*

(γ) *speciem*. — *speculationem Pr.*

(δ) *intentionalis*. — *intentionali Pr.*

(ε) *Ubi*. — *uti Pr.*

(ζ) *ergo*. — *Ad. Pr.*

(η) *praesentialiter et*. — *principaliter Pr.*

(x) *conspicere*. — *aspicere Pr.*

(δ) *enim*. — *Ad. Pr.*

(γ) *etiam*. — *quod Pr.*

(δ) *aliqua*. — *Om. Pr.*

(ε) *representabit*. — *representaret Pr.*

(ζ) *participant*. — *participant Pr.*

tudo et repræsentatio objecti. Ergo et hoc inerit speciei alteri, si ponatur.

Confirmatur etiam. Quia talis species et actus non different nisi sicut expressior similitudo et minus expressa, et sic sicut major similitudo et minor; et, per consequens, non different nisi per magis repræsentare et minus. In aliquo ergo gradu faceret apparet objectum species prædicta; et, per consequens, esset quedam cognitio, et quoddam conspicere.

Forte etiam dicetur quod nec actus nec species exhibent objectum præsens, nec constituant (<sup>a</sup>) in esse apparenti; et ita ratio cessat. — Sed hoc dici non potest. Negans enim quin objectum aliquod esse intentionale habeat et prospectum in actu intellectus, negat universale, negat intentiones secundas, negat relationes rationis, et universaliter negat etiam scientiam esse de rebus, et veritatem omnium enuntiationum; et ponit quod anima nihil apprehendit et cognoscit, nisi proprias passiones, et illud quod est in ea. Negat quidem universale: quia constat quod nec actus intellectus, nec aliquid extra existens, est universale, sed particulare, juxta dictum Porphyrii, *species in solis nudis purisque intellectibus posita sunt*; et ideo universale nihil est, vel non habet esse nisi in anima objective, et secundum esse intentionale et apparens. Secundae autem intentiones et relationes et entia rationis non habent esse reale, nec in anima, nec extra, sed tantum esse cognitum. Similiter, si actus intellectus quo enuntiatur quod rosa est flos, terminatur ad speciem vel ipsum actum, sequitur quod illa propositio est falsa: quia species rosea non est species floris, nec actus est actus. Sequitur etiam quod scientia de ista propositione non est de rebus; et universaliter quod quid est, quod lucet in phantasmate, cum sit aliud a phantasmate, et ab actu intellectus, necesse est quod ponatur subsistere, sicut posuit Plato, vel habeat esse intentionaliter, et secundum esse apparens. Et ad hoc esset intentio Augustini, *44. de Trinitate*, cap. 6, ubi dicit quod *tanta est vis cogitationis, quod nihil est in prospectu mentis, nisi illud unde cogitat*; et subdit quod *anima cogitando se congerminat se, ut sit in se conspiciens, et ante se conspicua*. Et tota doctrina Philosophi et Augustini, ubi loquuntur de actibus cognitivis, hanc veritatem clamant (<sup>b</sup>), scilicet quod res sunt secundum esse apparens, cognitum, præsentiale et prospectum, vel intentionale, in acie cogitantis.

Tertio, inquit, hoc potest probari ratione divisiva. Si enim præter illam similitudinem que est actus, ponatur alia similitudo in potentia cognitiva, vel esset ejusdem rationis, vel alterius. Sed ejusdem rationis ponit non potest. Tum quia accidentia ejusdem speciei, solo numero differentia, in eodem subjecto plura esse non possunt. Tum quia qualibet ex

illis similitudinibus esset formaliter actus cognitus, ex quo essent ejusdem speciei; et ita bis et dupli actu cognosceret potentia quidquid cognosceret. Nec etiam potest dici quod alterius rationis. Quia tunc una esset nobilior alia, et actus esset expressior similitudo et nobilior; et, per consequens, contineret primam similitudinem in virtute. Nunc autem due formæ tales, quarum una continet aliam in virtute, incompossibilis sunt in eodem subjecto; unde, quia anima intellectiva continet sensitivam, incompossibilis sunt in eodem corpore; esset enim bis animatum, et bis sensibile. Quare et similitudo nobilior, quæ est cognitio, et ignobilior, quæ est species, cum haec contineatur virtualiter in illa tanquam in eminenti, incompossibilis essent in eadem potentia simul: sequeretur enim quod idem bis assimilaretur alicui. Unde, quia tetragonus continet trigonum, figuræ tetragona et trigona incompossibilis sunt in eadem superficie. Similiter, quia calidum continet tepidum, impossibile est tepiditatem et caliditatem esse simul in eodem subjecto. Et ratio summi potest: quia forma diminuta et forma eminentis specificè distinctæ differunt sicut habitus et privatio; ideo differentia specifica formæ diminutæ includit privationem, differentia vero formæ eminentis includit habitum oppositum; tales autem differentiae incompossibilis sunt in eodem.

Confirmatur. Quia tales formæ habent rationem terminorum motus, ita quod subjectum transit ab una in aliam. Quod patet. Quia non ex quolibet fit quodlibet, *1. Physicorum* (t. c. 58); sed existens sub privatione transfertur a privatione in habitum. Unde quæcumque tales formæ habent contrarietatem, quæ exigitur ad terminos motus; sicut patet de tepido et calido; quia contrarietas est distantia secundum privationem et habitum, ut patet, *10. Metaphysicae* (t. c. 15). Cum ergo istae duas similitudines essent representationes ejusdem rei, essent in eodem genere, nam qualibet est representativa unius rei; different autem secundum expressius et nobilius, et, per consequens, essent termini motus. Unde potentia cognitiva, dum reduceretur ad similitudinem que est actus, amitteret primam similitudinem; sicut aqua amittit tepiditatem, dum acquirit caliditatem. Ergo præter similitudinem que est actus, non est ponenda alia similitudo in potentia cognitiva.

Quarto, inquit, hoc idem patet. Quia, si aliquid obstat supradictis, hoc maxime videretur quia, secundum hoc, videtur quod species in intellectu non remaneant post actum considerandi, aut quod intellectus omnia actu consideret, quorum habet species, si species sit id ipsum quod intellectus; hoc autem omni experientie repugnat. ... Sed hoc non obstat. Quia dicendum quod, licet species et actus cognitivus idem sint secundum suum absolutum, different tamen ratione, in hoc quod ubicumque

(<sup>a</sup>) *constituant*. — *constituit* Pr.

(<sup>b</sup>) *clamat*. — *clamant* Pr.

in potentia non apprehensiva, aut in tali dispositione existente in qua non est apprehensiva, illa similitudo ponatur, habet rationem tantummodo speciei, et non actus. Et ideo species in memoria sensitiva, aut in medio, non est apprehensio. Non additur autem aliud dum est apprehensio, nisi sola praesentialitas et apparentia objecti, quae est purum ens rationis. Quamvis enim similitudo semper sit apta nata praesentare objectum et facere apparere, non tamen praeceps hoc habet a se, nec in omni subjecto; et, propter hoc, in memoria, vel in medio, quamvis sit species, non tamen objectum praesentialiter representat; alioquin medium et memoria vere cognoscerent. Habet ergo species in potentia cognoscitiva ut faciat apparere, quia utrumque, scilicet potentia et species, constituant unum, ad quod sequitur objecti apparentia: ita quod, quia esse apparens est esse vitale, quod sit hic apparatio, est ex potentia; quod vero sit talis res sub ista apparitione, est ex ipsa specie. Et ideo Commentator, 3. de *Anima*, com. 5 (in solut. tert. quest.), dicit quod « sicut esse sensibile dividitur in materiam et formam, sic esse intentionale ». Dicit etiam (ibid., in solut. secund. quest.) quod « intentio intellecta et intellectus materialis faciunt unum in actu », sic quod intellectio actualis componitur ex intellectu possibili et similitudine rei, que vocatur intentio intellecta. Sic ergo ad difficultatem dicendum quod, sicut species existens in memoria, vel medio, vel sensu distracto per fortē imaginationem, vel in intellectu, secundum ponentes eam differre ab actu (in his enim omnibus remanet absolutum speciei, absque hoc quod actu representet et exhibeat praesens objectum; et tamen istud representare et species sola ratione differunt), sic in proposito erit, dato quod species non differat ab actu realiter, sed sola ratione, scilicet solo actuali representare praesentiali objecti. Videmus enim quod dextrum et sinistrum in columna non differt re, cum sit relatio rationis; et tamen amittet rationem dextri, sola mutatione facta alibi. Est ergo sciendum quod intentio intellecta objective, habet duplex subjectum. Primum in eo quod est verum in esse apparenti. Et hoc subjectum est intentio imaginata. Nunquam enim intellectus noster fertur in aliquod universale, aut aliquam quidditatem objective, nisi speculando eam in aliquo particulari phantasmate. Et ideo Commentator ait (3. de *Anima*) com. 30, quod « proportio intentionum intelligibilium ad intentiones imaginatas est sicut proportio colorum ad corpus coloratum, non sicut proportio colorum ad sensum visus: intellecta eni sunt intentiones formarum imaginationis abstractarum a materia ». Et idem dicit, com. 5, quod intentiones intellectae, sunt de intentionibus imaginatis, sicut forme de materia. Et Philosophus (3. de *Anima*, t. c. 30) ait quod intelligentem necesse est phantasmata speculari. Secundum vero subjectum

est illud per quod sunt entia realia. Et istud est intellectus possibilis informatus similitudine rei; nam totum istud est intellectio realis, a qua dependet esse objectivum intentionis intellectae. Et hoc patet etiam per Commentatorem, in predictis locis. Cum ergo omne dependens corrumpatur ad corruptionem illius a quo dependet, necesse est quod circa intellectionem contingat duplex corruptio et generatio. Una quidem in se, quantum ad reale absolutum, quod per intellectionem importatur; et sic generatur intellectus in addiscente de novo, aut ( $\alpha$ ) suspiciente similitudinem rei; et corrumpitur in obliscente. Altera vero quantum ad esse prospectum, cum corrumpitur intentio imaginata, in qua sustentabatur intentio ista, et per consequens intellectio, quantum ad id quod dicit objective. Et ideo experientia docet quod, abeuntibus vel turbatis ( $\beta$ ) phantasmatis, intellectio cessat, non quidem quoad aliquam realitatem absolutam, sed quantum ad actum rationis, qui est representare aut exhibere universale in prospectu. Et ideo dicit Commentator (3. de *Anima*) com. 30, quod intellectus quidditatis aut universalis indiget forma imaginativa indivisi, in qua sustentetur ( $\gamma$ ); et Philosophus, de *Memoria* (cap. 1), dicit quod volens intelligere lineam simpliciter, ponit ante oculos lineam pedalem, ut in linea pedali consideret quidditatem lineae simpliciter. Ex his patet ad difficultatem. Nam in intellectu possibili remanet species et similitudo sine actuali ( $\delta$ ) consideratione, non tamen ut faciens apparere, aut ut praesentans objectum; et ita remanet absolute ut species et similitudo, non autem ut intellectio. Sed dum phantasia existens in suo actu exhibet intentionem imaginatam, sive particulare phantasiatum, tunc similitudo illa remanens in intellectu exhibet in esse objectivo intentionem intellectam, que in illo phantasmate sustentatur et colligatur. Et propter hoc dicit Commentator (3. de *Anima*) com. 5, quod generatio et corruptio insunt intellectis ( $\epsilon$ ) vel secundum quod sunt entia simpliciter, et hoc cum acquirantur aut deleantur secundum suum esse reale ab intellectu possibili; vel secundum esse verum, et sic generantur et corrumpuntur in intellectu, non in se, per generationem vel corruptionem formae imaginativae. Concedendum est ergo quod intellectio differt a specie, non quidem quoad aliquid reale absolutum, sed quia intellectio nominat ipsam speciem ut actu exhibet objectum in esse praesentiali et apparenti. — Finaliter

( $\alpha$ ) aut. — autem Pr.

( $\beta$ ) turbatis. — tardatis Pr.

( $\gamma$ ) Verba Commentatoris sunt: « Intellecta universalia colliguntur cum imaginibus. » Et in 1. de *Anima*, com. 12, dicit: « Impossibile est ut intelligat aliquid sine imaginatione. »

( $\delta$ ) actuali. — dupliciti Pr.

( $\epsilon$ ) intellectis. — intellectui Pr.

ergo dicit ad conclusionem, quod ad visionem beatissimam requiritur similitudo creata, quae est actus visionis; similitudo vero quæ sit videndi ratio, et quæ coagat actum ad visionem eliciendam, aut quæ terminet visionem, et mediet inter illam et divinam essentiam, nullo modo est ponenda, sed nec in aliqua alia cognitione. — Hæc ille.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

### ARTICULUS III.

#### PONUNTUR SOLUTIONES

##### AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

**I. Ad argumenta Aureoli.** — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem, respondendo objectionibus contra primam conclusionem inductis primo loco, dicitur primo, in communi, quod probationes sumptae ex limitatione speciei sufficienter concludunt propositum, si bene intelligantur. Nec valent improbationes illarum, nec probationes opposite propositionis conclusioni nostre contradictoræ. Quod patet. Nam prima probatio sua propositionis, et prima improbatio nostri fundamenti primi, fundatur in falso fundamento, scilicet quod cognitio, prout dicit actum secundum, sit similis aut similitudo rei cognitæ. Et ad anerioritates Augustini et Anselmi, dicitur quod loquuntur de visione aut cognitione aut intellectione quoad sui principium, quod est species intelligibilis, aut de verbo vel conceptu, quod est terminus intellectonis; non autem de ipso actu intellectonis quoad suam essentiam. De predictis beatus Thomas, 1. *Contra Gentiles*, cap. 53, sic dicit: « Præmissa dubitatio solvi potest faciliter, si diligenter inspiciatur qualiter res intellectæ in intellectu existant. Et ut ab intellectu nostro ad divini intellectus cognitionem, prout est possibile, procedamus, considerandum est quod res exterior intellecta a nobis, in intellectu nostro non existit secundum propriam naturam; sed oportet quod species ejus sit in intellectu nostro, per quam intellectus habet in actu. Existens autem in actu, per hujusmodi speciem, sicut per propriam formam, intelligit ipsam rem; non autem ita quod ipsum intelligere sit actio transiens in rem intellectam, sicut cœfatio transit in cœfactum; sed habet relationem in rem quæ intelligitur, eo quod species predicta, quæ est principium intellectualis ( $\alpha$ ) operationis ut forma, est similitudo illius. Ulterius autem consi-

derandum est quod intellectus per speciem rei formatus, intelligendo format in seipso quamdam intentionem rei intellectæ, que est ratio ipsius, quam significat ( $\alpha$ ) diffinitio. Et hoc quidem necessarium est, eo quod intellectus intelligit indifferenter rem absentem et presentem; in quo cum intellectu convenit imaginatio. Sed intellectus hoc amplius habet, quod etiam intelligit rem separatam a conditionibus materialibus, sine quibus in rerum natura non existit; et hoc non posset esse, nisi intellectus intentionem sibi predictam formaret. Hæc autem intention, cum sit quasi terminus intellectualis operationis, est aliud a specie intelligibili, que facit intellectum in actu, quam oportet considerare ut intelligibilis operationis principium: licet utrumque sit rei intellectus similitudo. Per hoc enim quod species intelligibilis, que est forma intellectus et intelligendi principium, est similitudo rei exterioris, sequitur quod intellectus intentionem formet illi rei similem: quia quale est unumquodque, talia operatur. Et ex hoc quod intentio intellecta, est similis alieni rei, sequitur quod intellectus, formando hujusmodi intentionem, rem illam intelligat. » — Hæc ille. — Similia dicit, *de Potentia Dei*, q. 8, art. 1: « Intellectus noster, inquit, in intelligendo, ad quatuor potest habere ordinem: scilicet ad rem que intelligitur, ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu, ad suum intelligere, et ad conceptionem intellectus. Quæ quidem conceptio a predictis tribus differt. A re quidem intellecta: quia res intellecta interdum est extra intellectum; conceptio autem intellectus non est nisi in intellectu. Et iterum, conceptio intellectus ordinatur ad rem intellectam sicut ad finem: propter hoc enim intellectus conceptionem rei in se format, ut rem intellectam cognoscat. Differt autem ab actione intellectus: nam species intelligibilis, qua fit intellectus in actu, consideratur ut principium actionis intellectus; cum omne agens agat secundum quod est in actu; quod fit per aliquam formam, quam oportet esse actionis principium. Differt autem ab actione intellectus: quia predicta conceptio consideratur ut terminus actionis, quasi quiddam per ipsam constitutum; intellectus enim sua actione format rei diffinitionem, vel propositionem affirmativam seu negativam. Hæc autem conceptio intellectus in nobis proprie dicitur verbum. Hoc enim est quod verbo exteriori significatur: vox enim exterior neque significat ( $\beta$ ) ipsum intellectum, neque speciem intelligibilem, neque actum intellectus, sed intellectus conceptionem, qua mediante refertur ad rem. Hujusmodi igitur conceptio, sive verbum, qua intellectus noster intelligit rem aliam a se, ab alio ( $\gamma$ ) ori-

( $\alpha$ ) significat, — servat Pr.

( $\beta$ ) significat, — servat Pr.

( $\gamma$ ) alio, — aliquo Pr.

ur, et aliud repräsentat: oritur quidem ab intellectu per suum actum; est vero similitudo rei intellectae. Cum vero intellectus seipsum intelligit, verbum predictum, sive conceptio, ejusdem est propago et similitudo, scilicet intellectus seipsum intelligentis. Ethoc ideo contingit, quia effectus assimilatur cause secundum suam formam; forma autem intellectus est res intellecta. Et ideo verbum quod oritur ab intellectu, est similitudo rei intellectae, sive sit idem quod intellectus; sive aliud. » — Hac ille. — Similia dicit, 1 p., q. 27, art. 1, dicens: « Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, in eo procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectae, ex ejus notitia procedens; quam quidem conceptionem vox significat, et dicitur verbum cordis. » — Hac ille. — Similia dicit in multis locis aliis. Ex quibus patet quomodo intelligenda sunt verba sanctorum, quando dicunt quod cognitio est similis rei cognite. Et sic patet quod prima probatio propositionis quam inducit arguens contra primum fundamentum sancti Thomae, non valet, scilicet illa quā dicebat fundari in dictis sanctorum. — Similiter ratio ibidem adducta non valet. Dicitur enim quod minor argumenti est falsa: non enim divina visio, quoad sui essentiam, est formalis apparitio divinæ essentiae; sed solum quoad sui principium, quod est divina essentia, supplens vicem speciei; vel quoad sui terminum, qui est conceptus vel verbum, ut predictum est. Utrum autem beati forment verbum? Communiter tenetur quod non habent aliud verbum à Verbo increato distinctum, propter intimam presentiam Verbi ad intellectum beatum, sicut nec habent aliam speciem intelligibilem quam divinam essentiam. De hoc vide Henricum, 4. *Quodlibeto*, quā est 8, ubi querit: Utrum videntes divinam essentiam forment verbum? Vide etiam Bernardum in impugnatione questionis ejusdem. Potissime fundamentum arguentis totaliter est inane, si ponatur quod actus intelligendi non est de genere qualitatis, sed de genere actionis. Constat enim quod respectus de genere actionis non potest esse similitudo alicujus absoluti, nec representativus, nisi ratione sui principii vel termini. Utrum autem hoc verum sit, prouince non discutio, quia utraque pars probabilis est; tamen sanctus Thomas videtur tenere quod sic.

Dicitur secundo, quod responsiones quas dat ad prima conclusionis motiva, non valent. Non quidem *prima*. Quia, cum sanctus Thomas dicit quod per similitudines inferioris ordinis rerum, etc., illam propositionem Dionysii intelligit intransitive, sic quod nulla species vel similitudo creata potest divinam essentiam sufficienter representare ( $\alpha$ ), ut possit esse principium visionis divinae essentie. Cujus

( $\alpha$ ) *repräsentare*. — *reputare* Pr.

ratio est: quia, data quacumque specie vel similitudine creata, Deus potest creare aliquam essentiam adæquantem totam repräsentationem illius similitudinis; et consequenter dicta similitudo non est perfecta similitudo divinæ essentiae, sed alicujus creaturæ creata vel creabilis. — Rursus, responsio vel instantia contra *secundam rationem* non valet: quia, ut dictum est, omnis similitudo creata, qua non est suum esse, est adæquabilis per aliquam essentiam creata, quartanta sit in reali existentia, quanta est illa similitudo in repräsentando; et ideo nulla talis repräsentat divinam essentiam prout in se est. — Denique instantia contra *tertiam rationem* non valet: quia, ut patet ex dictis, sola forma infinita potest perfecte repräsentare objectum infinitum. Quod autem dicit de actu visionis, solutum est. Quod autem dicit, quod, secundum hoc, scientia de divinitate esset infinita, — non valet: quia nulla scientia creata de divinitate perfecte repräsentat divinitatem quoad sui essentiam, nisi illo modo quo dictum est de actu visionis. Quod ultius dicit, quod repräsentatio fundatur super qualitatem, etc., — non valet: quia ad repräsentandum objectum finitum sufficit qualitas finita, et ad repräsentandum perfecte objectum infinitum non sufficit qualitas finita, ratione predicta. Unde illæ instantiæ parum valent, et tam motiva quam conclusio sancti Thomæ stant in suo vigore.

Cum autem nititur impugnare motiva secundo loco adducta pro conclusione, dicitur quod objectiones ejus non procedunt. — Non quidem *prima*: quia sanctus Thomas non negat quin aliquod objectum possit cognosci et clare videri per speciem sibi adæquatam, sed quod nulla species imperfecte et in enigmate repräsentans objectum potest esse principium facialis visionis; sic autem se habet omnis creata similitudo respectu divinæ essentiae. — Similiter nec *instantia secunda* valet; nam major est falsa. Dicitur enim quod visio facialis tollitur non solum per medium quod se tenet ex parte objecti, verum etiam per medium quod est ratio cognoscendi, imperfecte et insufficienter repräsentans objectum, ut saepe dictum est. — Cum autem glossat Augustinum, patet quod glossa non est ad mentem ejus: quia, ut statim dictum est, nulla creata similitudo sufficit ad Deum facialiter videndum.

**II. Ad alia argumenta Aureoli.** — Ad argumenta secundo loco contra eamdem conclusionem inducta, restat dicere. Et quidem ad *primum* dicitur primo, quod propositio quam nititur probare, scilicet quod actus intelligendi vel cognoscendi non addit aliquid absolutum supra speciem, est falsa, et contra communem doctrinam non solum philosophorum, sed etiam theologorum.

Dicitur secundo, quod cognoscere vel intelligere, prout nominat actum secundum, non est purum.

pati vel recipere; sed dicit actionem et operationem immanentem. Nec oppositum hujus dicit quaecumque auctoritas, quam non licet negare. Unde ad dicta Augustini, dicendum quod in omnibus illis locis ubi dicit visionem esse speciem per similitudinem ab objecto impressam (2), loquitur de visione vel cognitione prout nominat actum primum, non autem ut dicit actum secundum. Ideo argumentum peccat per fallaciam aequivocationis. Tales enim termini, scilicet scire, intelligere, cognoscere, videre, sunt aequivoici: quia quandoque nominant actum primum, quandoque actum secundum. Et quod ista responsio sit recte secundum mentem sancti Thomae, patet: quia ipse, in multis locis, ponit quod omnis operatio vitalis est a principio intrinseco ipsi viventi, et non totaliter ab extrinseco principio; sicut patet per ea que dicit, *de Malo*, quest. 46, art. 11, in solutione secundi: « Operatio, inquit, vite, secundum quod progrederitur a potentia, est semper a principio intrinseco; sed secundum quod procedit ex objecto, potest esse a principio extrinseco; sicut visio causatur a visibili. » — Hæc ille. — Item, 4 p., q. 448, art. 2, sic dicit, in solutione secundi: « Opera vitae non possunt esse a principio extrinseco; sicut sentire, nutritri et augeri (3), etc. » Item, *de Potentia Dei*, q. 3, art. 9, ad 22<sup>um</sup>, sic dicit: « Principium visionis non est visus tantum, sed oculus constans ex visu et pupilla; etc. » Ex quibus patet quod objectum movet potentiam immediate duntaxat ad actum primum, qui est aliqua species impressa; sed illa passiva impressio non dicitur actus vitalis, nec visio aut cognitione vel sensatio, nisi coagente potentia vitali, et concorrente ad actum secundum, qui differet essentialiter a primo. Et hoc manifeste patet: quia potentia cognitiva habet multas operationes; et actus secundum per initiam speciem impressam. De hoc sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 8, art. 43, in solutione secundi, sic dicit: « Ex una specie quam intellectus penes se habet, in diversas cogitationes procedit; sicut per speciem hominis varia de homine possumus cogitare. Unde, etsi angeli videant intellectum nostrum figurari per speciem hominis; non sequitur quod cogitationem cordis determinate cognoscant. » — Hæc iller. — Item, q. 9, art. 4, in solutione decimi, sic dicit: « Quando unus angelus illuminatur ab alio, non infunduntur ei novæ species; sed ex eisdem speciebus quas prius habebat, intellectus ejus confortatus per lumen superius, efficitur plurimum cognoscitivus; sicut intellectus noster confortatus per lumen divinum et angelicum, ex eisdem phantasmatisbus in plurimum cognitionem pervenire potest quam per se posset. » — Hæc ille. — Similia

dicit, 4 p. (2): « Ex speciebus, inquit, a creaturis acceptis, tanto altior elicetur veritas, quanto intellectus humanus fuerit fortior; nec per augmentum adjuvatur homo ut ex creaturis perfectius in divinam cognitionem veniat. » — Hæc ille. — Item, q. 12, art. 9, in solutione secundi, sic dicit: « Aliquæ sunt potentiae cognoscitivæ, quæ ex speciebus primo conceptis alias formare possunt: sicut imaginatio, ex speciebus primo conceptis montis et auri, format speciem montis aurei; et intellectus, ex praecognitatis speciebus generis et differentiae, format rationem speciei; et similiter, ex similitudine imaginis, formare possumus in nobis similitudinem ejus cuius est imago. » — Hæc ille. — Item, 4 p., q. 85, art. 2, in solutione tertii, ubi sic dicit: « In parte sensitiva invenitur duplex operatio. Una, secundum solam immutationem; et sic perficitur operatio sensus, secundum quod immutatur a sensibili. Alia operatio est formatio, secundum quod vis imaginativa format sibi aliquod idolum rei absentis, et etiam nunquam visa. Et ultraque hæc operatio conjungitur in intellectu: nam primo quidem consideratur (4) passio intellectus possibilis, secundum quod informatur specie intelligibili; qua quidem formatus, format secundo diffinitionem vel compositionem et divisionem, que per vocem significatur. Unde ratió quam significat (5) nomen, est diffinitio; et enuntiatio significat (6) compositionem et divisionem intellectus. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quomodo sensatio et intellectus quandoque sumuntur pro actu primo, et quandoque pro actu secundo; et quomodo in potentia cognitiva est aliquis actus totaliter productus ab objecto, qui non dicitur vitalis, et aliquis productus a potentia cum impressione objecti, qui dicitur actus vitalis et actus secundus. Dicitur tertio, quod dictum Anselmi, eodem modo quo dictum Augustini, patitur expositionem supradictam de actu primo et secundo. Et propterea (7) dicta utriusque possunt exponi, si loquantur de visione que est actus secundus, modo quo supra dictum est: quia scilicet actus ejus, qui est visio, est similitudo objecti, non quoad sui essentiam, sed quoad sui principium vel terminum.

Dicitur quarto, quod dicta Philosophi, 2. *de*

(2) Hæc verba, que, in omnibus anterioribus editionibus Auctoris, dicuntur desunni ex 4 p., q. 3, art. 4, ad 20<sup>um</sup>, non invenimus apud sanctum Thomam. Dicit vero sanctus Doctor, 4 p., q. 12, art. 43, ad 2<sup>um</sup>: « Ex phantasmatisbus vel a sensu acceptis secundum naturalem ordinem, vel divinitus in imaginatione formatis, tanto excellentior cognitio intellectualis habetur, quanto lumen intelligibile in homino fortius erit; et sic per revelationem ex phantasmatisbus plenior cognitio accipitur ex infusione divini lumen. »

(3) consideratur. — consideretur Pr.

(5) significat. — sentiat Pr.

(6) significat. — sentiat Pr.

(7) propterea. — præter Pr.

(8) *impressam.* — *impressa* Pr.

(6) *nutrir et augeri.* — *nutrire et augere* Pr.

*Anima*, ad propositum male applicantur, et contra mentem et (2) verba ejus. Cum enim dicit quod eadem est actio sensibilis et passio sensus, loquitur de actu primo, non autem de actu secundo, cum sensus communis et imaginatio et (6) virtus cognitiva in absentia sensibilis alias actiones habeat, quas non sufficeret objectum sensibile imprimere, et multo amplius intellectus.

Dicitur (7) quinto, quod dicta Philosophi, 3. *de Anima*, eodem modo intelligenda sunt. Quod patet: quia ipse Philosophus, 3. *de Anima*, distinguit duplicein operationem intellectus, quarum secundam nullo modo possibile est fingere esse puram passionem aut receptionem impressionis ab objecto; sicut patet de operatione qua formatur diffinitio, vel propositionis, vel syllogismus.

Dicitur sexto, quod de dictis Commentatoris in hac materia non est multum curandum, quia ipse in hac materia turpiter et perniciose docuit et erravit, sicut ostendit sanctus Thomas in multis locis.

Dicitur septimo, quod auctoritates predictae non solum intelliguntur per causalitatem, sed per essentiam. Concedimus enim quod visio, cognitionis, intellectus, sensatio sunt essentialiter species, imago, vel similitudo objecti, sumendo visionem, cognitionem, sensationem, intellectionem, pro actu primo. Dato etiam quod Augustinus loquatur de cognitione que est actus secundus, nihil contra nos, nec contra suum propositum: quia, dato quod species objecti et cognitionis actualis sint duo essentialiter distincta, tamen possunt sumi ad mentem Augustini pro una completa cognitione, vel completo actu cognitionis, qui complectitur actum primum et actum secundum.

Dicitur octavo, quod dictum Philosophi finaliter allegatum, ad eundem sensum potest et debet intelligi: quia scilicet loquitur de sensatione prout complectitur actum primum et secundum. Et sic patet quod novitas per hunc adinventa non fundatur in recto intellectu sanctorum et philosophorum, ut putat.

Ad secundum principale dicitur primo, negando maiorem. Constat enim quod in (2) intellectu possibili, que est virtus cognitiva, perfecte disposita, sunt simul centum vel mille species intelligibiles, et tamen non sunt ibidem simul tot actus intelligendi; quod tamen sequeretur, si quaelibet species intelligibilis existens in potentia cognitiva perfecte disposita, esset quidam actus intelligendi. Nec oportet recurrere ad phantasiam; quia illa fuga non habet locum in angelo, nec in anima separata. Oportet ergo quod actus cognoscendi addat aliquid absolutum supra speciem, que est ratio cognoscendi.

(2) et. — *de Pr.*

(6) et. — *Om. Pr.*

(7) *Dicitur.* — *De Pr.*

(8) *in.* — *Om. Pr.*

scendi. Dicitur ergo quod non est de ratione actus secundi cognoscitivi quod sit formalis apparentia, vel per ipsum formaliter objectum appareat; sed quod procedat ex tali apparentia, et tendat in objectum sic apparet per actum primum, qui dicitur species. Et quod actualis cogitatio realiter differat a specie intelligibili, patet ex dictis Augustini, qui speciem vocat parentem, et cogitationem vocat problem, et dicit secundum gigni ex primo; sicut patet, 14. *de Trinitate*, cap. 6, ubi sic dicit: *Multarum disciplinarum peritus, ea quæ novit, ejus memoria continentur; nec est unde aliiquid in conspectu mentis ejus, nisi unde cogitat; cætera in arcana quadam notitia sunt recondita, quæ memoria nuncupatur. Ideo trinitatem sic commendabamus* (2), *ut illud unde formatur cogitantis obtutus, in memoria poneretur; ipsam vero confirmationem, tanquam imaginem que inde imprimatur; at illud quo utrumque conjungitur, amorem seu voluntatem, etc.* Item, cap. 7, sic dicit: *Ex his quæ memoria continentur, recordantis acies informatur; et tale aliiquid gignitur ubi homo cogitat, quale ante cogitationem meminerat; quia facilis dignoscitur quod tempore accedit, et ubi parentis problem spatio temporis antecedit, etc.* Sequitur (7): *Verbum sine cogitatione esse non potest. Cogitamus omne quod dicimus, etiam illo interiore verbō, quod ad nullius gentis pertinet linguam. In tribus potius illis ista imago cognoscitur, memoria scilicet, intelligentia, et voluntate. Hanc autem nunc dico intelligentiam, qua intelligimus cogitantes, quando repertis eis quæ memoriae (7) praesto fuerant, sed non cogitabantur, cogitatio nostra formatur; et eam voluntatem, sive amorem, sive dilectionem, quæ istam parentem protemque conjungit.* — Haec ille. — Et multa similia dicit in predictis capitulis; per quae apparet quod species et memoria reservata differt ab actuali cogitatione, sicut parentis a prole. Nec potest fungi quod Augustinus loquitur de speciebus que sunt in memoria, non autem de illis que sunt in intellectu possibili: quia in parte intellectiva non est alia potentia memorativa praeter intellectum possibilem, sed est eadem potentia, ut ostendit sanctus Thomas, 4 p., q. 79, art. 7.

Dicitur secundo, quod species intelligibilis et actus cognoscendi non differunt sicut duæ similitudines ejusdem objecti, quarum una sit expressior alia: quia actus non est similitudo objecti secundum suam essentiam, sed ratione sui principii vel termini.

Dicitur tertio, quod per actum intelligendi, objectum non capit aliquod novum esse absolutum distinctum a specie intelligibili ei ab actu intelligi-

(2) *commendabamus.* — *commendabimus* *Pr.*

(6) *quod* — *Ad. Pr.*

(7) *memoriæ.* — *memorantur* *Pr.*

gendi et a verbo, quod est terminus actus; sed solum accipit quandam relationem ( $\alpha$ ) rationis, vel quandam denominationem, eo modo quo dicit Philosophus, 5. *Metaphysicæ* (t. c. 20), quod scibile vel cognoscibile dicitur relative ad scientiam vel cognitionem, respectu non reali, sed rationis; quia scientia vel cognitio realiter referuntur ad ipsum. De hoc sanctus Thomas, 1 p., q. 43, art. 7, sic dicit: « Quandoque relatio in uno extremorum est res naturæ, et in altero res rationis tantum. Et hoc contingit quandocumque duo extrema non sunt unius ordinis. Sicut sensus, et scientia referuntur ad sensibile et scibile: quæ quidem, inquantum sunt res quedam in esse naturali existentes, sunt extra ordinem esse sensibilis et intelligibilis. Et ideo in scientia quidem et sensu est relatio realis, secundum quod ordinatur ad sentiendum vel sciendum. Res tamen considerate in se, sunt extra hujusmodi ordinem; unde in eis non est aliqua relatio realis ad scientiam et sensum, sed secundum rationem tantum, inquantum intellectus apprehendit eas ut terminos relationum scientie et sensus. Unde Philosophus dicit, 5. *Metaphysicæ* (t. c. 20), quod non dicuntur relative eo quod ipsa referantur; sed quia alia referuntur ad ipsa. » — Haec ille. — Similia dicit, *de Potentia Dei*, q. 7, art. 10: « Quaedam, inquit, sunt, ad quæ quidem alia ordinantur; et non econtra, quia sunt omnino extrinseca ab illo genere actionum vel virtutum, quas consequitur talis ordo: sicut patet quod scientia referuntur ad scibile, quia sciens per actum intelligibilem ordinem habet ad rem scitam, quæ est extra animam; ipsa vero res quæ est extra animam, non attingitur a tali actu, cum actus intellectus non sit transiens in exteriores materias transmutandam; unde ( $\beta$ ) res ipsa est extra genus intelligibile; et, propter hoc, relatio quæ consequitur actum intellectus non potest esse in ea. Et similis est ratio de sensu et sensibili: quia, licet sensibile immunit organum sensus in sua actione, et propter hoc habeat realem relationem ad ipsum, sicut et alia agentia naturalia ad ea, quæ patiuntur ab eis, alteratio tamen organi non perficit sensum in actu, sed perficitur per actum virtutis sensitivæ, ejus sensibile, quod est extra animam, omnino est expers. » — Haec ille.

Dicitur quarto, quod illæ quatuor consequentiae, quas contra prædicta infert arguens, non procedunt. Non quidem prima. Quia ad salvandum universalia non oportet ponere tale esse objectivum, absolutum, distinctum a specie et actu et conceptu intellectus et a natura in singularibus reperta; sed sufficit quod natura quæ est in individuo, habeat esse in intellectu per speciem, actum et conceptum, sic quod esse quod convenit formaliter speciei, actui

et conceptui, conveniat naturæ quæ est in individuo, denominative, per quamdam relationem. Nec oportet aliud esse querere absolutum, nisi, ut dictum est, esse relativum rationis; ita quod natura quæ est in individuo, prout habet relationem ad tria supradicta, quadam denominatione extrinseca dicitur universalis, sicut dicitur intellecta et cognita et abstracta. — Rursus, secunda consequentia non valet. Quia secundæ intentiones, negationes, et alia hujusmodi entia rationis, pro tanto dicuntur esse in anima objective, quia aliquis conceptus talium est ibi, ad quem habent respectum: ita quod totum esse talium non est nisi esse conceptus, vel actus, vel speciei, vel respectus. Nec oportet fingere aliud esse distinctum a prædictis. — Consumiliter, tertia consequentia non valet. Quia ad veritatem hujus propositionis, *Rosa est flos*, non oportet fingere tale esse objectivum a prædictis distinctum. Sufficit enim quod actus intelligendi, compositivus aut divisivus, terminetur immediate ad conceptum intellectus, et, mediante illo, terminetur ad rem extra, prout habet esse in singulari, quæ fundat duos conceptus, scilicet rose et floris, et quæ dicitur esse objective in intellectu denominatione quadam extrinseca. Immo, si dicta propositio verificaretur solum pro tali esse objectivo, per illam propositionem nihil intelligetur de rosa particularibus; sicut arguit Aristoteles, 7. *Metaphysicæ*, contra positionem Platonis de ideis a singularibus separatis. De hac materia diffuse loquitur sanctus Thomas, 1 p., q. 85, art. 2. — Denique quarta consequentia non valet, ut patet per prædicta. Quia non dicimus quod actus sciendi aut intelligendi ultime terminetur ad speciem, actum vel conceptum intellectus; sed dicimus quod ultime terminatur ad rem particularem. Immo prædicta consequentia potius militat contra arguentem: quia, cum tale esse objectivum, quale ipse ponit, non sit esse reale, nec ratum, sed phantasticum, et modo apprens, modo dispares, si scientia non est de rebus nisi solum ( $\alpha$ ) quantum ad tale esse objectivum, sequitur quod nulla scientia est de rebus sensibilibus quas sentimus, secundum esse quod in eis sentimus. Et multa alia inconvenientia ad hoc sequuntur. — Finaliter, illud quod dicit de esse quidditativo, non cogit: quia esse quidditativum rerum sensibilium non est tale esse phantasticum, modo apprens, modo dispares, sed est esse ipsius naturæ existentis in individuo suo, actu vel potentia, quod debetur ei per quamdam denominationem ab actu vel conceptu vel specie intellectus, ut supra dictum est. Tale enim esse objectivum, quod ponit arguens, non potest dici esse quidditativum singulare plus quam esse idealum Platonicum, cum utrumque sit a singularibus totaliter separatum, nec insit eis actu vel potentia; immo

( $\alpha$ ) *relationem. — remotionem* Pr.

( $\beta$ ) *si. — Ad. Pr.*

( $\alpha$ ) *solum. — servet* Pr.

multo minus, quia tale *esse*, secundum arguentem, non est *esse* reale, nec aliqua vera et rata res. Probabilius ergo diceretur quod *esse* quidditativum rei sit ipsa natura rei singularis, prout includit principia speciei solum et dumtaxat in *esse* reali; in *esse* vero intelligibili, *esse* quidditativum rerum singulorum dicatur conceptus formatus per intellectum de quidditate reali extra animam, eam repraesentans, et in qua et per quam illa quidditas exterius intelligitur et concipitur et est ejus *esse* objectivum. De hoc sanctus Thomas, 4. *Contra Gentiles*, cap. 14, sic dicit: « Omne intellectum, in quantum intelligitur, oportet esse in intelligente; significat enim (2) ipsum intelligere apprehensionem ejus quod intelligitur per intellectum. Unde etiam intellectus noster, seipsum intelligens, est in se ipso, non solum ut idem sibi per essentiam, sed etiam ut a se apprehensum in intelligendo. Intellectum autem in intelligente est intentio intellecta et verbum, sicut conceptus lapidis in intellectu est lapis intellectus. » — Haec ille.

Dicitur quinto, quod illa verba Augustini, 14. *de Trinitate*, cap. 6, sunt tropica, ut patet per sequentia. Ideo enim dicit quod *mens, dum se cogitat, ponit se ante se, et geminat se*, quia scilicet mens, dum se cogitat, generat conceptum et verbum sui, qui est aliud ab ipsa, et sic habet duplex *esse*, unum in se, aliud in suo conceptu, ut patet insipienti totum sextum et septimum capitulum. Et sic arguens fallitur, quia tenet se cum figura, et non cum re figurata.

Dicitur sexto, quod dicta philosophorum expoundenda sunt sicut dicta Augustini.

**Ad tertium principale** dicitur primo, quod supponit falsum, scilicet quod actus intelligendi sit expressa similitudo objecti, ut patet per sepius replicata.

Dicitur secundo, quod conceptus, seu verbum procedens per actum intelligendi, est expressa similitudo objecti, sicut et species intelligibilis a qua procedit; et quandoque expressius representat objectum quam species, puta cum mediante specie formatum diffinitio, vel compositio, aut demonstratio. Et si contra hoc intendat arguere, dicitur quod iste due similitudines sunt alterius rationis in creaturis. Nec valet prima improbatio: quia, licet verbum sit expressior similitudo quam species, non ideo sequitur quod contineat speciem eminenter vel in virtute. Cujus ratio est: quia species se habet per modum habitus impressi in intellectu possibili ab objecto vel phantasmate virtute intellectus agentis, nec aliter potest naturaliter causari; verbum autem se habet per modum passionis faciliter transmutantis, quantum est de se; ideo non potest causare speciem, nec continet illam eminenter ad sensum

arguentis, nec in virtute; non enim se habent sicut calidum et tepidum, ut arguens dicit; nec sunt ejusdem ordinis, cum una sit habitus, alia passio, una sicut actus primus, alia ut terminus actus secundi, una ut forma fluens, alia ut forma fixum *esse* et quietum habens in subjecto.

Dicitur tertio, quod illa maxima in qua arguens se fundat, nullam habet apparentiam, scilicet quod generaliter forma perfectior, vel accidentis perfectius, contineat eminenter formam imperfectiorem: sicut patet de intellectu possibili et ejus actu, et similiter de voluntate et ejus actu; nam actus est perfectior potentia, non tamen eam continet eminenter, nec virtualiter. Similiter qualitas est perfectior quantitate, nec tamen continet eam eminenter. Et, quidquid sit de hoc, constat quod ambae sunt in eodem simul subjecto, scilicet substantia, licet quodam ordine.

Dicitur quarto, quod similitudo adducta de anima intellectiva, vel de trigono et de tetragono, ad propositum nihil valent: quia tales forme sunt ejusdem ordinis, scilicet quia quelibet se habet per modum formae quiescentis in subjecto, et quarum una non presupponit aliam in eodem subjecto, nec una dependet nec causatur ab alia; secus est in proposito. Et multe aliae dissimilitudines dari possunt.

Dicitur quinto, quod duae probationes ibidem adductae, non sunt ad propositum: quia non semper forma imperfectior includit privationem perfectioris (2) formae, nec differunt sicut habitus et privatio, nec habent rationem terminorum motus, nec habent incompossibilitatem inter se; sicut patet de habitibus et potentiis respectu suorum actuum, et de diversis qualitatibus in eodem subjecto, et de qualitate et quantitate.

Dicitur sexto, quod, licet species et verbum inde formatum sint similitudines ejusdem rei, non ideo sequitur quod sint in eodem genere proximo: quia, ut dictum est, una se habet per modum habitus et actus primi et formae fixe stantis in (6) subjecto, alia vero non.

Dicitur septimo, quod non est inconveniens idem subjectum simul et semel assimilari eidem objecto bis, vel per duas similitudines diversorum ordinum; sicut patet ex dictis Augustini, 14. *de Trinitate*, cap. 6 et 7, qui ponit speciem reservatam in memoria esse similitudinem objecti, et similiter verbum ab ea genitum, quae duas simul sunt in intellectu. Esset tamen inconveniens duas similitudines ejusdem ordinis, vel ejusdem rationis, esse simul in eodem subjecto.

Dicitur octavo, quod, si modus arguendi valeret, utique concluderet quod nunquam in eadem potentia essent simul diversi habitus diversarum ratio-

(2) significat enim. — servat autem Pr.

(a) *perfectioris. — perfectorum* Pr.  
(6) *se. — Ad. Pr.*

num, et quorum alter esset alio perfectior. Quod est manifeste falsum: quia in eadem voluntate simul sunt habitus charitatis, spei, timoris, justitiae, pietatis, et multi habitus affectivi. Similiter, in eodem intellectu simul sunt habitus fidei, sapientiae, intellectus, consilii, scientiae et prudentiae. Item, in eodem intellectu sunt multæ species intelligibiles diversorum objectorum; alias nunquam intellectus posset formare istam propositionem, *Homo non est asinus*. Et multa alia falsa concluderet argumentum, si valeret. Apparet ergo falsitas maxime in qua totum processum fundat arguens.

**Ad quartum principale** dicitur quod ratio quam arguens contra se inducit, insolubiliter concludit contra eum. Nec valent sue prolixæ evasionses. Tum quia falsum et inopinabile est quod eadem forma in se nullo modo variata, nec intensa, nec remissa, per solam mutationem alicujus extrinseci quandoque fiat actus secundus et actualis operatio et actio vitalis, et quandoque non. Tum quia illa fuga non habet locum in creaturis intellectualibus in quibus nullum est phantasma, pusa in angelis et animabus separatis: in illis enim, secundum istam viam, vel nulla est actualis intellectio, nec exhibitio, nec apparentia objecti; vel oportet dicere quod in eis tot sunt simul actus intelligendi et actuales intellectiones, quod sunt in eis species intelligibiles; quorum utrumque est manifeste falsum. Tum quia distinctio de illo duplice subiecto speciei intelligibilis fictio est, adiuncta per Commentatorem ad colorandum suum errorem de unitate intellectus possibilis et continuatione ejus cum hominibus: ut ostendit sanctus Thomas in multis locis, potissimum in questionibus *de Anima*, q. 2 et 3; item, 4 p., q. 76, art. 4; item, 2. *Contra Gentiles*, cap. 59; et multis aliis locis. Tum quia, secundum istam viam, intellectio actualis non est essentialiter intellectio, sed accidentaliter et contingenter: quia eadem res nunc est intellectio, postea desinit esse actualis intellectio. Tum quia ex hoc sequitur quod actualis intellectio, in quantum huiusmodi, nullam perfectionem includit, sed solum respectum; et ita visio divinae essentiae, in quantum est visio, nullam perfectionem dicit: quod est erroneum. Tum quia ex hoc sequitur quod habens habitum intellectus, vel sapientiae, vel fidei, vel prudentiae, vel scientiae, nullam perfectionem intelligibilem acquirit ex hoc quod actu intelligit, vel sapit, vel credit, vel ratiocinatur de agendis, vel considerat ea quae sunt scientiae, plus quam si dormiret aut esset mente captus; nec plus meretur per actus intellectus quam per habitus; quae omnia sunt falsa et absoula. Et patet consequentia: quia actus secundus, secundum illam viam, nullam rem addit super actum primum, sed solum quoddam ens rationis, per quod nullus meretur.

Dicitur secundo, quod ista difficultas non ita

incumbit ponentibus actum secundum realiter differre a primo, sicut incumbit arguenti, licet arguens hoc fingat. Dicit enim sic (*Quodlibeto* 8, art. 3): « Ista difficultas non minus sequitur ponentes quod species realiter differt ab actu. Est enim propositio nota, ex 9. *Metaphysicorum* (t. c. 10), quod, posito activo, et passivo disposito, et utroque approximato, necesse est sequi actum. Sed, specie existente in intellectu, intellectus cum specie est activum sufficiens ad causandum actum, et ipse intellectus est sufficienter dispositus ad suscipiendum, et sic actum est passo sufficienter approximatum, præcipue si voluntas imperet actum considerandi. Et tamen non sequitur actus, quantumcumque voluntas impetrat, nisi phantasia sit in actu conformi: quia intelligentem necesse est semper phantasmatum speculari; et tamen a phantasmate tunc nihil recipit intellectus; nec exigitur phantasma ut disponens activum ad agendum, nec ut passum disponat ad suscipiendum, nec sicut approximans activum passivo. Ergo mirum est quod actio non sequatur sic, quod intellectus habens speciem exeat in actum absque phantasmate. — Ad hoc respondetur communiter quod hoc facit ordo potentiarum. — Sed haec solutio interemit illud principium, scilicet quod, agente approximato, et passo disposito, de necessitate sequitur actus: nam ordo iste non videtur disponere intellectum ad agendum aut recipiendum, cum sit quedam relatio, quae nec est principium actionis, nec passionis, ut patet, 5. *Physicorum* (t. c. 10). » — Haec ille. — Sed ista reductio non valet. Dicitur enim quod minor argumentum est falsa: quia, specie existente in intellectu possibili, non semper intellectus est activum dispositum sufficienter ad agendum, sed tunc solum cum species est perfecte intensa, et sufficienter in actu primo. Unde sanctus Thomas, 2. *Contra Gentiles*, cap. 74, respondens ad argumenta Avicenne, dicit: « Rationes que videntur in contrarium, non difficile est solvere. Intellectus enim possibilis, est in actu perfecto formarum secundum species intelligibiles, cum considerat actu secundum eas. Cum vero non considerat actu, non est in actu perfecto secundum illas, sed sibi habet (z) medio modo inter potentiam et actu. Et hoc est quod dicit Aristoteles, 3. *de Anima* (t. c. 8), quod cum haec pars, scilicet intellectus possibilis, unumquidque fiat, sciens dicitur secundum actum. Hoc autem accidit cum possit operari per seipsum. Est quidem tunc potentia sciens quodammodo, non tamen similiiter ut ante addiscere et invenire. » — Haec ille. — Simile dicit, 4. *Sentent.*, dist. 50, q. 1, art. 2, in solutione quinti. Item, *de Veritate*, q. 8, art. 14, arguit sic, decimo septimo loco: « Intellectus angeli, in quantum est de se, aequaliter se habet ad omnes formas in ipso existentes. Ergo vel simul per omnes

(z) habet. — habent Pr.

intelligit, vel per nullam (α). Sed non per nullam. Ergo si autem per omnes. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod intellectus angeli non similiter se habet ad omnes formas quas penes se habet : quia quandoque est in actu perfecto unius formae, et non aliarum; et hoc per voluntatem, quae reducit intellectum de tali potentia ad actum ; unde et Augustinus (*4. de Genesi ad litteram*, cap. 32) dicit quod, cum voluerit, intelligit. » — Hæc ille. — Multa alia dicunt in principali responsione illius articuli, facientia ad propositum. Dicit enim sic : « Intellectus, onne quod intelligit, intelligit (ε) per aliquam formam. Et ideo ex formis intellectus, quibus intelligit, oportet considerari an angelus possit simul multa intelligere. Sciendum est ergo quod formarum quædam sunt unius generis, quædam autem diversorum. Formæ quidem (γ) quae sunt diversorum generum, diversas potentias respiciunt; cum unitas generis ex unitate potentiae seu materiae procedat, secundum Philosophum. Unde impossibile (δ) est unum subjectum simul perfici diversis formis diversorum generum, quia tunc una potentia non determinabitur ad diversos actus, sed diverse : sicut si aliquod corpus est simul album et dulce, albedo inest ei secundum quod participat de natura diaphani, dulcedo autem secundum naturam huiusmodi. Formæ vero quae sunt unius generis, unam potentiam respiciunt : sive sint contrarie, ut albedo et nigredo; sive non, ut triangulus et quadratum. Hæc ergo formæ in subiecto tripliciter esse possunt. Uno modo, in potentia tantum; et sic sunt simul, quia una potentia est contrariarum et diversarum formarum unius generis. Alio modo, secundum quod sunt in actu imperfecto, ut cum sunt in fieri; et sic simul esse possunt, ut patet cum aliquis dealbabitur; tunc enim, toto dealbationis tempore, albedo inest ut in fieri, nigredo vero ut in corrumpi. Tertio modo, ut in actu perfecto, ut cum jam albedo est in termino dealbationis; et sic impossibile est duas formas unius generis esse simul in eodem subiecto; oportet enim eamdem potentiam ad diversos actus terminari; quod est impossibile, sicut et unam lineam ex una parte terminari ad diversa puncta. Sciendum est ergo quod omnes formæ intelligibiles sunt unius generis, quantumcumque res quædam sunt, sint (ε) diversorum generum : omnes enim eamdem potentiam intellectivam respiciunt. Et ideo in potentia omnes simul esse possunt in intellectu. Et similiter in actu incompleto, qui est medius inter potentiam et actum completum vel perfectum; et hoc est species esse in habitu, qui est

medius inter potentiam et operationem. Sed in actu perfecto plurium specierum intellectus simul esse non potest. Ad hoc autem quod actu intelligat, oportet quod sit in actu perfecto illius speciei secundum quam intelligit. Et ideo impossibile est quod simul et semel secundum diversas formas intelligat. » — Hæc ille.

Ad argumentum pro quæstione (α), respondet sanctus Thomas, 1 p., q. 12, art. 2, in solutione tertii, dicens : « Divina essentia est ipsum esse. Unde, sicut aliæ formæ intelligibiles quæ non sunt suum esse, uniuntur intellectui secundum aliquid esse quo informant intellectum et faciunt ipsum in actu; ita divina essentia unitur intellectui creato ut intellectum in actu per seipsum, et faciens intellectum in actu. » — Hæc ille.

Et hæc de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus in aeternum. Amen.

## QUESTIO VI.

UTRUM VIDENTES DEUM VIDEANT IN EO OMNIA QUAE DEUS VIDET, VEL QUAE POSSUNT IN IPSO VIDERI

**V**LTIMO, circa quadragesimam nonam distinctionem, queritur : Utrum videntes Deum videant in eo omnia quae Deus videt, vel quae possunt in ipso videri.

Et arguitur quod sic. Quia qui intelligit quod majus est, potest intelligere minima, ut dicitur, *3. de Anima* (t. c. 7). Sed omnia quae Deus fecit vel facere potest, sunt minus quam ejus essentia. Ergo quicumque intelligit Deum per essentiam, potest intelligere omnia quae Deus fecit vel facere potest.

In oppositum arguitur. Quia angeli vident Deum per essentiam, et tamen non omnia sciunt. Inferiores enim angeli purgantur a superioribus a nescientia, ut dicit Dionysius, cap. 7 *Cœlestis Hierarchia*. Ipsi etiam nesciunt futura contingentia, nec cogitationes cordium : hoc enim est solius Dei. Non ergo quicumque videt Dei essentiam, videt omnia.

In hac quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

(α) *nullam*. — *naturam* Pr.  
(β) *intelligit*. — Om. Pr.  
(γ) *quidem*. — *quædam*. Pr.  
(δ) *impossibile*. — *possibile* Pr.  
(ε) *sint*. — Om. Pr.

(α) *quæstione*. — *conclusionem* Pr.